

Oorkonde over het bloedwonder in Hooidonk (1244)

Overgenomen uit H.P.H. Camps, *Oorkondenboek van Noord-Brabant tot 1312*, nr. 204.

Universis Christi fidelibus hoc scriptum inspecturis Bonifacius, Dei providentia designatus quondam episcopus Lausanensis, in salutis auctore salutem perpetuam.

Notum sit omnibus Christi fidelibus, et utinam notum foret universis infidelibus, ad confusionem inimicorum crucis Christi et ad laudem et gloriam eorum qui gloriantur in cruce Domini nostri Iesu Christi, divine dignationis et bonitatis miraculum quod operari dignatus est idem Dominus noster Iesus Christus in quadam particula ligni dominice crucis in domo claustralii dominarum ordinis beati Augustini que dicitur Hodunck, Leodiensis diocesis, in terra ducis Brabantie anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo quarto, mense augusto in octava beati Augustini.

Quo cum venissem ad consecrandam ecclesiam et duo altaria intuitu Dei et ad petitionem venerabilis patris domini Roberti, episcopi Leodiensis, inter multas reliquias sanctorum, ibi mihi ostensas, vidi lignum longitudinis digitalis, quod credebat et asserebat conventus esse de ligno crucis dominice.

Didiceram olim Lausane ab episcopo Gebennensi, qui hoc didicerat ab alio, quod lignum dominice crucis in aquam missum descendat in fundum, cum alia ligna in aquis missa soleant naturaliter supernatare. Quo experimento usus affirmabat se certum esse quod haberet particulam quandam sancte crucis dominice.

Hoc autem experimentum predicti episcopi cum mihi venisset in memoriam, viso ligno predicto feci afferri scyphum aque mediocriter magnum, simili volens uti experimento. Multis autem sororibus eiusdem domus et quibusdam aliis religiosis et multis etiam secularibus personis circumstantibus et circumsedentibus, accepto ligno predicto pollice et indice dextre manus mee ter feci signum crucis eodem ligno super scyphum aque: In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, supplicans Domino ut dignaretur nobis demonstrare, si eadem particula ligni esset de sancta cruce dominica.

Quod cum posuissem in aquam, statim descendit in fundum ad modum lapidis. Quod cum levassem eisdem digitis de fundo scyphi super aquam, videntibus omnibus circumstantibus et circumsedentibus exierunt gutte multe sanguinis spissi de inferiori parte eiusdem ligni, una post aliam descendentes in fundum scyphi.

Stupescens autem viso miraculo, feci queri festinanter vasculum mundum, in quo posset recipi sanguis fluens. Quo allato vitro, cum fluxus sanguinis iam cessasset, imposui secundo lignum in aquam; quo extracto iterum ceciderunt gutte sanguinis, sed minus spisse quam prius; que recepte sunt in illud vas vitreum. Cum autem cessasset fluxus, tertio imposui lignum idem in eandem aquam; quo elevato gutte sanguinis tertio excidentes recepte sunt in idem vasculum.

Iste sanguis receptus secundo et tertio de ligno supradicto est in vase crystalino nunc in predicta domo claustralii. Aqua scyphi rubricata guttis sanguinis spissi excidentibus in patenam in prima ligni extractione est in eadem domo in vase vitreo. Antequam autem tertio imponerem lignum scypho aque, feci crucem eodem ligno super aquam scyphi, et apparuit in fundo crux rubra, quam vidit priorissa domus et multi alii circumstantes et circumsedentes. Quam etiam videns quedam matrona secularis Hildegundis nomine de Wulffrombese quasi amens facta est. In fundo autem scyphi apparent gutte sanguinis, que numquam ibi apparuerunt, ut dicunt moniales. Postea ablui eam in alio scypho aque et post ablutionem et recessum ruboris sanguinis multi biberunt ex aqua illa; qui dixerunt quod haberet mellifluum saporem. Et moniales et alii et predicta Hildegundis

inde bibens alleviata est ab infirmitate quam passa est tribus annis, que nec per medicos, nec per medicinas potuit curari, sicut ipsa mihi retulit quinto die post hec acta.

Quarta autem die, in vigilia nativitatis beate Marie, cum dixisse missam, ego et conventus predictus sedens coram me facta generali confessione et post confessionem habita absolutione supplicavimus Domino nostro Iesu Christo, quod dignaretur nobis ostendere ad laudem et gloriam nominis sui aliquod indicium sue voluntatis in ligno predicto. Allata autem aqua in predicto scypho, facto ter signo crucis cum invocatione Patris et Filii et Spiritus sancti, imposuimus lignum aque, quod descendit in fundum. Quo extracto ceciderunt de eodem gutte sanguinis, que recepte sunt in vas crystallinum predictum cum priori sanguine.

Et sic factum est secundo et tertio. Quod vidi oculis meis et cunctus populus et frater Henricus de Averbodio sacerdos, qui tenuit ampullam cristallinam que recepit sanguineam guttam tribus vicibus misso in aquam ligno et extracto sicut supra. Habet enim hic predictus sacerdos pannum sericum, quem mihi exhibuit albissimum, rubricatum sanguine qui adhesit digitis meis. Interfuit etiam Arnulphus miles de Stakenbroeck cum uxore sua, que etiam interfuit per omnia in primo miraculo. Interfuerunt etiam multi alii laici.

Predicto autem ligno predurissimo inciso acuto cultello cecidit inde minutissima particula vix perceptibilis tactu vel visu, nigra sicut lignum est nigrum, in quadam tamen parte est album. Cum autem dubitarem, utrum eadem particula minutissima esset de ligno predicto, posui eam in aquam et descendit in fundum, et cum levasset de aqua et cum fricarem inter digitos meos, facti sunt digitii mei sanguine rubricati. Imposui illud minutum in vas crystallinum in quo fuit sanguis receptus, et ipsum adhesit intus vasi crystallino, ubi statim conversum est in colorem sanguineum me et omnibus predictis cernentibus. Ego autem inclinavi phialam ipsam versus illud minutum, ita quod tactum sanguine mansit in ipso sanguine in ipsa phiala crystallina.

Hoc ad petitionem conventus predicti et aliorum populorum scripto commendavi ad gloriam et honorem Domini nostri Iesu Christi in salutem credentium et ad confusionem incredulorum et ad corroborationem sancte fidei Christiane.

Et apposui sigillum meum ad exaltandum honorem ligni vivifice crucis, in qua pependit salus et vita nostra Dominus noster Iesus Christus, cui sit honor et nobis secum salus et vita per ipsum in letitia sempiterna, per omnia seculorum.
Amen.